DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE HECTICA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE HECTICA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HENRICUS JAGOE,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOCIUS EXTRAORD. ET PRAESES ANNUUS.

Huic, ubi cito manus admoveatur, salutis aliqua spes subest.

ARCHIGENES.

——————— Tenet insanabile multos.

JUVENAL. Sat. vii. v. 51.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO

AMPLISSIMO SPECTATISSIMOQUE,

RICARDO,

COMITI DE *BANTRY*,

&c. &c. &c.

CUJUS

PLURIMÆ VIRTUTES PUBLICÆ AC PRIVATÆ,

STUDIA INSIGNIA, ET NUPER ET OLIM,

PRO BONO REIPUBLICÆ,

MORUM SUAVITAS, ANIMI MUNIFICENTIA,

VERAM DIGNITATEM

ORNANT;

HASCE JUVENILIS CALAMI PRIMITIAS,

QUA DECET OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

JOANNES H. JAGOE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE HECTICA.

Auctore Joanne H. Jacob.

Hecticam Febrem, morbum de quo medici tam multum discrepant, intra limites hujusce opusculi tractandam selegi; quia et propter opiniones de ea, etiam a celeberrimis in lucem prolatas, varias ac valde diversas, propterque ejus frequentiam, mihi videtur esse malum, quod juvenis attentionem optimo jure sibi vindicat.

Multi antiqui medici hecticam idiopathicam ejusque species descripsere; et quidam recentiores

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE HECTICA.

Auctore JOANNE H. JAGOE.

HECTICAM Febrem, morbum de quo medici tam multum discrepant, intra limites hujusce opusculi tractandam selegi; quia et propter opiniones de ea, etiam a celeberrimis in lucem prolatas, varias ac valde diversas, propterque ejus frequentiam, mihi videtur esse malum, quod juvenis attentionem optimo jure sibi vindicat.

Multi antiqui medici hecticam idiopathicam ejusque species descripsere; et quidam recentiores

hecticam sub forma primaria sese nonnunquam exhibere existimant: ita scripsit Clarissimus JOANNES HUNTER *, "Although Hectic commonly arises from some incurable disease of a vital part, or of a common part when of some magnitude, yet it is possible for it to be an original disease in the constitution." Hancce sententiam alii haud parvi nominis promulgant, atque in scriptis hodiernis multa de hectica idiopathica sunt invenienda: contra quidam alii auctores, et inter hos CULLENUS ipse, eam unquam nisi symptomaticam se vidisse negant: CULLENUS quidem, in Nosologia, sub classe "Pyrexiæ," et ordine "Febris," eam posuit; et sic definivit: "Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia, matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente:" hunc locum sortitus est quanquam ipse dixit, se ejusmodi febrem, quoniam nunquam nisi symptomaticam observaverit, in numerum idiopathicarum

---

* On the Blood, Inflammation, &c. vol. i. p. 381.

admittere noluisse; sed quod ad locum in Nosologia Systematica attinet, non est meum componere litem; et missis pluribus hujusmodi commentis, amplexus hanc jam dictam opinionem, quanquam alteram omnino recusare difficillimum est, de Febre Hectica, e quodam priore morbo oriente, disserere enitar.

HISTORIA MORBI.

Apud diversos auctores diverse nuncupatur hæcce febris, ita ut "morbus suppurationis, vel "symptomaticus," "febris lenta, irregularisve intermittens," "Phthisis," "Tabes," et "Hectica," quo nomine nunc gaudet, unum eundemque morbum denotent; plerumque tardissimus est morbus, at in exemplis permultis causa inevitabilis mortis; sæpe primo perlente progreditur, vim occultat, sed indies crescens, viresque eundo acquirens, interdum hominis exitium molitur priusquam eam existere credimus. Pulsus sano paulo frequentior, debilitas, sudoresque ex causis levissimis, etiam ex exercitatione usitata, corporis at-

tenuatio adhuc exigua, vel cibi appetitus decrementum, prima sunt symptomata, miseroque præmonita dant; ægrum esse vix putat; sed paulisper, febre progrediente, variisque signis urgentibus, spes equidem parvas amicis et medico hæc pestis inexorabilis adfert. In Britanniæ insulis, quot lugubria ac pene innumerabilia videmus exempla, in quibus Hectica, passu tardo, certo tamen, vixque inhibendo, usque ad mortem perducit ægros.

Præcipue Phthiseos Pulmonalis vel Scrofulæ satelles apud nostrates quot strages efficit, longe lateque devastans, et " sæva, atrox, et insensibilis teneros et amabiles depascens, cæde et luctu patriam implet."

Cuicunque priori morbo hæcce supervenit febris, propria sunt sua symptomata; subinde alia quoque sibi trahit signa, nempe ejusdem morbi qui eam primo concitaverat; sed signa Hecticæ ipsius plerumque observanda, hic solum tradere statui.

Pulsus est frequens, micans, et parvus, ictus circiter decem vel viginti in minuto plus quam in sanitate edens, paulatim post cibos sumptos,

vel sub noctem, frequentior evasurus. Cutis humorem præter solitum, proclivitatemque ad sudandum fere habet. Facies est pallida, sed sæpe erubescit, ruborque genarum circumscriptus fere semper observatur. Alvus sub morbi initium vel naturalis est, vel paululum adstricta. Lingua, præcipue circiter margines, nitida apparet; quod si ventriculus male se fert, ex consensu tunicam albam ostendit. Interdum copiose varieque redditur urina, nunc sedimentum furfuraceo-lateritium demittens, nunc pallidissima, nec sedimentum unquam deponens. Variat plerumque appetitus cibi; modo omnino abest, modo ne minima quidem ex parte minuitur. Cum febre ipsa incipit debilitas; et marcor quotidie, adipe absorpto, ab initio firmiter instat. In plerisque casibus, etiam per totum morbi decursum, nulla adest anxietas febrilis, mensque sana ad ultimum manet.

Inter Hecticæ symptomata, febris accessiones sunt enumerandæ: morbi initio duæ quotidie plerumque adsunt; sed in ultimis stadiis, ut dicunt quidam auctores, tres etiam vel plures in die concitari possunt. Harum exacerbationum altera,

sæpe levissima, et ad vespertinam quintam horam decessura, circa meridiem occurrit; altera cito succedit, et usque ad matutinam secundam vel tertiam horam ingravescere pergit; hunc vespertinum paroxysmum in omni febris stadio constantem describere oportet.

Accedunt primo rigores, cum aliquo frigoris, plerumque partialis, sensu, et quanquam calorem imminutum non indicat thermoscopium, nihilominus æger de frigore conqueritur; horrores sæpe, non semper autem, instant: pulsus nunc debilis et parvus fit, oculi hebescunt, vultusque collabitur; aliquando sed raro equidem, adest anxietas. Hæc, post intervallum quoddam, insequitur caloris stadium; nunc cutis arida et calidior, vultus rubore suffusus, pulsus celerior, durior, et chordæ similis, et respiratio frequens et liberior evenit. Quasdam partes præ aliis infestat calor exauctus, veluti palmas manuum, plantasque pedum. Dr Young quidem dixit, Hydrargyrum in quibusdam casibus, thermoscopio manu prehenso, indicasse etiam omni hora gradum centesimum aut centesimum secundum: Rarius aut sitis, dolor capitis, aut delirium urget.

Circiter horam secundam tertiamve matutinam, signa caloris stadii in sudorem, primo plerumque partialem, at paulo post generalem, desinunt, et hoc modo terminatur paroxysmus; attamen sudor, ut in aliis morbis, ægrum non levat, potius eum defatigat: progrediente Aurora, infelix expergiscitur, sudore madefactus, nec adhuc omnino febre vacuus.

Cum hæc supradicta symptomata per aliquod incertum tempus duraverunt, omnia ingravescunt: Pulsus celerior nunc evadit, ictus arteriarum CXX in horæ sexagesima parte fere semper numerare solemus. Vis musculorum indies minuitur,—debilitas in tantum augetur, ut æger in lecto se contineat, et sæpissime quidem ne seipsum vertere possit. Nunquam calor volis plantisque abest; nunc quoque de frigore perpetuo, quamvis calor maneat imminutus, conqueritur homo. Lingua nunc ruberrima videtur, papillis tumidioribus prominentibus. Agitatio corporis etiam minima, potus calidi, quamvis parce sumpti, nunc sudores inducunt. Effusius prorumpunt sudores nocturni, diarrhœa colliquefaciens adest, qua duplice exinanitione vires mi-

rum in modum labefactantur. Sudores sine diarrhœa, vel diarrhœa sine sudoribus, subinde occurrunt, vicibusque alternis impetus faciunt; et hoc sæpe fit a remediis adhibitis. Adhuc marcescit corpus, maciesque videtur immensa; absumitur adeps, etiamque fibra musculosa; vasa sanguifera minima nunc fiunt occœcata, et corporis superficies et vultus, nisi per accessionem febrilem rubeant, miserrime pallent. Ossa malarum prominent. Tempora cava fiunt. Oculi hebescunt, resorptoque adipe in imis orbitis deprimuntur, et eorum tunica adnata album margaritæ splendorem æmulatur. Vultus angustiæ quandam speciem acquirit, Hippocraticamque faciem omnino exhibet. Dentes quam in sanitate sunt albidiores. Pili decidunt, et ungues lividi et adunci fiunt. Membra inferiora intumescunt, aliquando adest totius corporis œdema,—doloresque rheumatismo similes sparsim vagantur.

Nunc ad finem festinat; nunc paroxysmi facillime inducti, nullum certum tempus agnoscunt; et per stadia tria rarius currunt, rigoribus sæpe instantibus, vigente vel calore vel sudore. Hos paroxysmos bis solum in die adesse CULLENUS af-

firmat: et ille monuit ut exacerbationem vespertinam non prandio sumpto assignemus; minus eam manifestam fore dixit, nisi febris ex alia causa simul instet. Post cibum, quocunque tempore diei plene sumptum, exacerbationem supervenire dicunt GALENUS, VOGEL, et WILSON; et ipse DUNCANUS noster hæc verba fecit: "It has been more generally observed, that a paroxysm occurs after eating, especially after dinner; in most instances, one accession only is observed in the course of the day; in other cases two or even three accessions may be observed in the same length of time; but these do not occur with any regularity or at any fixed time; and they are often distinctly observed to be excited both by the taking of food and by the action of external cold, at whatever time of the day the patient may have been exposed to it *." Febris accessiones duæ solummodo sub morbi initium clare observantur; nunquam in hoc ordine diu restant; nam Hectica perstante crebriores fiunt; et a multis

* On Consumption, p. 43.

bene perspectis effectibus, qui etiam in sanis post cibos libere devoratos sese præstare solent, stimulum ex cibo satis esse ad exacerbationem iis Hectica detentis excitandum, mihi verisimile videtur.

Crescit Hectica, indiesque ad metam lethalem appropinquat; donec ægrum diarrhœa, febre, sudoribusque ad ossa usque consumptum, ærumnis simul ac vita abripit. In multis quos vidi casibus, mors adfuit inopinata, velutique ac somnus obrepsit, mente integerrima ad ultimum manente; sed in aliis, præsertim casibus quibusdam chirurgicis, finem prænunciabat delirium mite. Multum variat tempus per quod Hectica maneat, modo intra dies viginti de ægro actum est, modo menses immo anni elabuntur, priusquam mortem inferat. Hic notatu dignum est, nonnullos hecticos obire sine vel diarrhœa vel sudoribus nocturnis, quanquam hæc signa, cum adsint, finem maxime festinant.

Hectica, ut alibi dixi, alia præter hæc signa subinde ostendit, variantque ea, prout morbus ipse ex quo Hectica pendeat: exempli gratia, in casibus hujusce febris ex Phthisi Pulmonali ori-

ginem ducentis, pleraque saltem horum signorum, eheu quam optime designata videmus! sed alia quoque urgent, tussis nempe, cum puris expectoratione, et dolor in quadam thoracis parte, &c. Præterea in hujusmodi hectica, debilitas et marcor firmissime instant; et hoc fit, nostra saltem sententia, quia pulmonibus morbidis exulceratisque, sanguis, ut oportet, non potest refici; ideoque ad vires corporis sustinendas, et ad nutrimentum ejus præbendum, minus sufficit. Phthisicis quoque, priusquam advenerit mors, lingua et fauces aphthis sordibusque obteguntur, propter acrimoniam puris exscreati.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Diarrhœa et sudores colliquefacientes eandem causam agnoscunt, virium scilicet prostrationem maximam; illa fibrarum motricium intestinorum, hi vasorum cutis exhalantium atoniam indicant. Œdema quoque debilitatem vasorum extremorum suam causam habet.

Propter cuticulam crassiorem, volarum plantarumque minimis arteriis obductam, calor, vel saltem caloris sensus, in his partibus, præcipue urget; quia, ut mihi videtur, hæc cuticula crassior et densior quasi impedimento existens perspirationi, non potest quin calorem earum partium magis augeat.

Unguium aduncitas, capillorum defluvium, et oculorum depressus, motui sanguinis languidiori et absorptioni adipis, tribuuntur. Albor conjunctivæ insignis vasis minimis occæcatis debetur.

Secundum legem systematis, qua quotidie accedunt et in sanissimis duæ febriculæ accessiones, creditur a nonnullis hecticæ paroxysmos adesse; sed equidem inducor ut credam quandam causam, vel directe, vel indirecte, vires cordis et arteriarum accelerantem, hecticæ paroxysmum inducere.

CAUSÆ ABDITÆ.

Debilitas, cum nimia systematis mobilitate conjuncta, huic morbo proclivitatem dat. Diathesis scrofulosa, et temperamentum sanguineum nervosumque, quæ e prima corporis constitutione pendent, alios aliis obnoxiores reddunt.

CAUSÆ EXCITANTES.

Phthisis pulmonalis, quo apud nostrates non sævior existit morbus, hecticam plerumque insanabilem concitat ; ejusmodi Hectica quidem vulgo Exquisita nominatur. Pneumonia eam aliquando inducit, et, inflammatione remota, hecticam cessare dicitur. Iis hydrope, diarrhœa, dysenteria, vel diabete detentis, plerumque adest, priusquam adveniat mors. Scrofula, et morbi quamplurimi qui cum ea conjunguntur, vel ab ea pendent, in his regionibus, causæ frequentes hecticam excitantes agnoscuntur. Scorbutus,

in ultimis stadiis, hanc febrem excitat. Dyspepsia nunc pauca nunc omnia hecticæ signa producit; rheumatismus etiam a quibusdam medicis eam concitare dicitur; interdum quoque ex lue venerea originem ducit. Febres, et continuæ et intermittentes, nec raro in hecticam, gradatim et quasi obscure, desinunt. VOGEL, se hecticam usu muriatis hydrargyri inductam vidisse dicit: et credo equidem, multos, a hydrargyro incaute adhibito, hectice laborare. Hæmorrhagiæ profusæ, aliæque evacuationes immodicæ, si cum systematis irritatione conjungantur, huic morbo originem præbent. Ex nostalgia quoque oritur hectica; in Commentariorum Medicorum tomo xi. p. 343. et seq., Doctor HAMILTON de Ipswich, cujusdam militis in quo hoc accidit, casum narrat. A quibusdam hepatis affectionibus hectica concitatur; atque in his casibus quædam peculiaria signa exhibet: MORTON, in ejus opere, cui titulus est "Phthisologia," casus hujusmodi nonnullos enumeravit. Quædam viscera amplificata, vel corpore in universum irritato, vel partium iis vicinarum muneribus impeditis, febrem, de qua

agimus, subinde afferunt *. Pylori, vel glandularum lactei generis, scirrhus, eam producit: a carcinomate cujuscunque partis plerumque finem versus, interdum etiam sub inflammationis glandulæ scirrhosæ initium, videtur hectica.

Eam inducunt vulnera, et abscessus præsertim cum magni apertique sunt, et cum aër in eorum sacculos admittitur. Fracturæ compositæ, necrosis et exostosis, ad eam producendam sufficiunt. Permulti articulorum morbi, vix aut ne vix quidem scrofulosi, hecticam excitant. Febris etiam comitatur vermes in puerorum intestinis, et fæces in intestinis diu retentas acervatasque. Calculus in vesica urinaria eam aliquando inducit; inque hominibus temperamento nervoso præditis, hectica, vel saltem morbus ei consimilis, a contractura urethræ provenit.

Nonnunquam res externæ, partibus valde sentientibus inhærentes, hecticæ sunt causæ. Exempla memoriæ tradita sunt: Dominus ARNOT †, quendam virum eo usque hectica ægrotasse di-

---

* Vide "Medical Observations and Inquiries," vol. vi. p. 23.

† Vide "Edinburgh Medical Essays," vol. vi. p. 115.

cit, donec ossis particulam antea ingurgitatam, tussiendo exspueret. Casum simillimum narrat Dominus HOLMAN *. Mons. HEVIN † in lucem protulit casum, in quo hecticæ symptomata urgebant, ex nummo aureo parvo quem quidam devoraverat. Dominus HOWSHIP quoque scripsit, se symptomatibus febris, de qua agimus, quendam laborare vidisse, a clavo ferreo minimo, quem æger pharyngi fortuito tradiderat ‡.

Fœminæ, quæ sine ulla intermissione per longum tempus infantibus lac præbent, hecticæ fiunt; sed multum, quo hoc fit, variat tempus. Duas in hac urbe equidem vidi fœminas, quæ se per annos tres sine ullo damno infantes diversos nutricasse dicebant: Contra, quasdam alias hectica affectas notavi, quæ solummodo per menses duodecim mammis infantem admoverant: in hujusmodi hectica, febris plerumque cessat, infante a mammis disjuncto. Puerperæ, ut HEBERDENUS ipse affirmat, ex uteri partiumque vicinarum injuria, sæpe huic morbo succumbunt.

---

* Vide "London Medical Journal," anno 1786.

† Vide "Memoir. Acad. Chirurg." anno 1743.

‡ Vide "HOWSHIP's Observations on Surgery and Morbid Anatomy," p. 222.

CAUSA PROXIMA.

Qua causa contineatur morbus de quo agitur, quæ scilicet sublata eum tollat, mutata mutet, parum adhuc inter medicos constat. Sed missis aliis opinionibus, sit mihi fas hic tantum enunciare duas præcipuas, quas adhuc medici amplexi sunt.

Harum altera puri acri absorpto, inque sanguinem delato, vel saltem puris formationi, hecticam tribuit: hæc opinio, quanquam multi celeberrimique eam promulgant, mihi admodum obscura et incerta videtur. Nonne quotidie videmus pus, etiam acerrimum, ex abscessu quodam ulcereve absorptum, nulla sequente hectica? Nonne superficies interna cujuscunque abscessus absorbet æque ac secernit; quotiesque notamus illos diu manentes sine hectica? In empyemate psoadico, si ullo modo potes efficere ut sorbeatur materies purulenta, febrem hecticam potius prævertis quam creas. Quamdiu sæpe restant carcinomata, materiem ichorosam et fœtidissimam effundentia,

nec apparet hectica? Contra, testante HEBERDENO *, sub primam glandulæ scirrhosæ inflammationem aliquando instat.

In phthisi pulmonali, priusquam pus exscreari incipit, subinde efficit ineluctabile incrementum hectica. Dantur quidem exempla phthisicorum, hectica exquisita laborantium, in quibus post mortem, cadaverum sectiones nil nisi pulmonum tubercula ostendebant.

Ecce virum, hectica detentum, propter fracturam cruris compositam; ecce crus ejus amputatum; forsitan intra viginti quatuor horas evanescent omnia hecticæ signa; immo, eadem nocte bene dormiet æger, prorsus cessante febre; pus adhuc in sanguine manet; formari potest etiam postea; nulla tamen urget hectica, si modo æger ante injuriam validus et sanus fuerit, et si chirurgus felice manu membrum tempestive amoverit. Denique, in morbis plurimis antea dictis, nullo vel absorpto vel formato pure, in hecticam

* "London Medical Transactions," vol. ii. p. 8.

incidunt ægri; exempli gratia, in Diabete, Nostalgia, &c.

Secundum alteram opinionem, ex irritamine cujuscunque generis, aut a priore morbo, aut a quacunque intra corpus causa irritante, cum debilitate systematis simul juncta, hecticam oriri docemur; nullus dubito quin hectica citra pus etiam formatum persæpe occurrat, ideoque huicce sententiæ jam dictæ potius favens, pauca adhuc dicere volo.

In novem ex decem casibus, causam excitantem hectica agnoscit affectionem insanabilem, et plerumque chronicam; nemo est qui nesciat, ejusmodi affectionem et subruere vires corporis, et quam maxime mobilitatem ejus augere: hic status corporis, ut mihi videtur, hecticam facit, et hoc statu amoto et amovetur ipsa. Remedia, quæ maxima vi in hecticæ curatione pollent, ad hanc opinionem magis confirmandam tendunt.

DIAGNOSIS.

Progressu tardo, anxietate febrili etiam plerumque absente, insigni virium prostratione, et corporis attenuatione, hectica ab aliis febribus dignoscenda est; vixque quidem cum alio morbo confundi potest, nisi fortasse febre quotidiana intermittente; et cum hac solummodo sub initium, dum paroxysmi hecticæ ordinatim et regulariter instant. Nihilominus, discrimen maximum inter hos duos morbos accidit.

Paroxysmus intermittentis, multo majore, quam hecticæ, incipit frigore; ille matutinus, dum hic fere semper vespertinus est. Exacerbationes intermittentis per stadia tria frequentius currunt, sudoreque erumpente desinunt; in intermissionibus arteriis solito more pulsantibus. Contra hecticæ paroxysmi, cum jam circiter hebdomadas duas adfuerint, rarius hæc stadia ostendunt; rigores in medio, vel caloris vel sudoris, stadio occurrunt, (quidam auctores hoc signum esse pathognomonicum volunt): accessiones quoque

ex causis levissimis concitantur. Sudores non omnino solvunt hecticæ exacerbationem; pulsus adhuc sano celerior manet; nec prorsus evenit remissio febris. Rarius in hecticæ exacerbatione urget aut nausea aut vomitus.

Si urinæ conditionem spectemus, tempore intermittentis frigoris, est pallida, et cum profluit sudor, sedimentum lateritium copiose deponit: sed in hectica nullam certam legem observat, modo initio paroxysmi rubra, et sub finem pallida est, vel urgente vel absente paroxysmo, prorsus eadem est. Denique, dum quotidiana causam excitantem miasmata paludum plerumque agnoscit, hectica ex alio morbo concitari videtur.

RATIO MEDENDI.

Duo consilia Hecticæ curationem suscepturo sunt præcipienda:

A. Causas evidentes, si possumus, tollere.

B. Signa, quæ ægrum maxime torquent ad finem, levare.

Multa de primo medendi consilio, nec mea voluntas, nec limites hujusce dissertationis, scribere sinunt. Omnibus bene notum est, in aliis hecticæ casibus, alia ad hoc consilium perficiendum utenda esse remedia: medicamenta, quæ ad morbos debellandos hecticam concitantes maxime valent, sicut morbi varient, et varientur ipsa: "Vix fieri potest," dicit HEBERDENUS *, ut febris quæ tot diversas causas habet, neque eadem ubique mala infert, uni medendi rationi semper cederet." Sed quoniam hecticæ parentis morbi amotio eam sanandi modus est certissimus, et cum hoc aliquando effici potest, hic, tantum elucidandi causa, breviter de quibusdam morbis, hecticæ causis, quos curandi facultas sit, me dicere oportet.

Si febris continua prægressa hecticam concitaverit, tunc ad corticem cinchonæ, diætam magis nutrientem, non vero stimulantem, aëra purum, et exercitationem lenem, præsertim gestationem, confugiendum est. Si a vermibus, aut fæcibus diu in intestinis retentis, dyspepsia, aut aliis viscerum abdominis morbis inducta sit, remedia sin-

* HEBERDEN's Commentaries, p. 168.

gulis idonea utenda sunt. Cum syphilis eam concitat, hydrargyro rite adhibito, acido nitrico, sarsaparillæ, ejusve decocto composito, et aptæ diætæ maxime confidendum est. Si a scirrho externo, fractura composita, hydrarthro, exostosi, necrosi, calculo in vesica urinaria, aut aliis morbis, quos manu submovere possumus, hectica pendeat, morbi, si modo habitus non valde debilitatus fuerit, illico sunt amovendi. In hujusmodi casibus tempus operationi idoneum semper respiciendum est.

Cum in corpore antea sano validoque, morbi primarii remediis iis propriis curati sunt, de hectica ipsa, prognosis magis fausta erit. Sed in aliis casibus, veluti in phthisi pulmonum confirmata, in ultimis diabetis et scorbuti stadiis, in carcinomate pylori, &c. &c. morbo parente hecticæ perstante, nec remediis adhibitis levato, viribusque systematis mirandum in modum fractis, prognosis nostra est pessima ; in OVIDII verbis :

"Pestis adest, cui nec virtute resisti,
"Nec armis telisve potest."

Nunc omnino medici est, signa levare hecticæ ipsius maxime urgentia; ejusque igitur omnes conatus, in hujusmodi deplorandis exemplis, ubi nil præterea valet ars Æsculapiana, ad consilium medendi secundum sunt dirigendi. Quæ ad hoc utenda sunt in paginis sequentibus dicam; et primo de remediis dum adsunt paroxysmi.

Plerumque adeo lenis est rigor, ut nil medicinæ exigat; superveniente autem secundo, caloris scilicet stadio, acida vegetabilia, aliaque refrigerantia ad id debellandum maxime conducunt: affusionem aquæ tepidæ generalem; et acidi acetosi volis plantisque applicationem, magno haud sine fructu, præscribimus; de hisce duobus remediis ita scripsit Doctor CURRIE: "The paroxysm is sometimes completely extinguished by the affusion of tepid water on the commencement of the hot stage. By moistening the palms of the hands and the soles of the feet with vinegar, its effects may be moderated; for it is from the sensation of heat in the extremities that the stimulus to the system is chiefly derived; and this practice ought not to be neglected, if the tepid affusion is not employed generally." Ad frequen-

tiam pulsus compescendam usurpatur digitalis. Cum jam in sudores desinit calor, æger in lecto retineri debet; sed calor nimius vel ex cubiculo vel ex multis stragulis quam cautissime evitandus est.

Per totum hecticæ cursum alvus laxa tenenda est; sed ad hunc finem catharticis acrioribus non uti debemus; nam aliquando promovent, etiam levissima, diarrhœam colliquefacientem, nunquam non lethale signum; diæta igitur potius quam medicamentis hoc consilium perficiendum est.

Diarrhœa colliquativa urgente, varia proposita fuerunt remedia astringentia, veluti kino, mimosa catechu, extractum hæmatoxyli campechiani, decoctum quercus roboris, mistura cretacea, interdum cum opio, &c.: Siquando opium diarrhœa aliave signa postulent, id, cautione non sine maxima, administremus; nam quamvis in diarrhœa coërcenda, et anxietate et inquietudine levanda, vi insigni polleat, nihilominus ad sudores augendos nimis tendit. Fructus quoque acido-dulces ad hanc diarrhœam cohibendam, vel saltem minuendam, sæpe utiles sunt.

Si his levata fuerit diarrhœa, sudores nocturni vel augentur, si antea apparuerunt, vel si non, nunc prorumpunt, suntque vix minus lethales quam diarrhœa ipsa; ad hos reprimendos præcipue valent acida. Inter hæc acidum sulphuricum dilutum, quod aqua commistum ægro potus est gratissimus, primum occupat locum; in infuso rosæ Gallicæ magis adhuc pollere dicitur: Cerevisiam fortem, Anglice "*Porter*" dictam, ad eundem finem nonnulli commendant. Sudoribus levatis iterum augetur diarrhœa, et his duobus pessimis signis, modo alternantibus, modo autem simul existentibus, ducitur miserrimus usque ad januas mortis. Diarrhœa, sudoribus repressis, quam maxime urgente, putatur a quibusdam hos medicamentis esse reducendos, quoniam diarrhœa, magis quam sudores, torquet ægrum, multoque celerius ad finem festinat.

Somnum inducere, anxietatem doloresque levare interdum necesse erit; sed opium, ad hoc in aliis morbis optimum remedium, in hac febre, ut supra dixi, caute adhibendum est: igitur hyosciamus, lactucarium, aut acidum hydrocyanicum ad hoc consilium usurpatur.

Emetica, præsertim cum hectica ex phthisi pulmonali pendeat, subinde administrare oportet: horum remediorum sulphas zinci palmam sibi vindicat, nam antimonium et ipecacuanha, quæ vulgo ad vomitum excitandum usurpantur, diaphoresin, aut alvi dejectiones promovere nimis tendunt; ideoque in hectica, diarrhœa, sudoribusve nunc instantibus, evitanda sunt: contra omnino zinci sulphas, ut vim tonicam et astringentem possidere videtur, hæc signa quodammodo prohibeat. Sulphas cupri, etiam, pro emetico, multum commodi secum affert.

Ad sustinendas vires corporis labentes, tonica usitari solent. Cinchona utimur, præcipue si magna adsit suppuratio: mineralia tonica, ut quædam ex ferro præparata, quoque adhibentur: neque suis laudatoribus caret affusio aquæ frigidæ. Sed ad systema confirmandum diæta hecticorum maximam vindicat attentionem. Signis non valde urgentibus, cibus animalis, tener, levis, multum nutrimenti præbens, facilisque concoctu, haud omnino negandus est; usus modicus vini rubri Lusitanici, aut etiam cerevisiæ fortis, non contemnendus est: sed parce, et sæpius, potius-

quam libere, et rarius, cibus est sumendus, nam, ventriculo magna cibi quantitate oppresso, paroxysmi frequentiores fiunt,—idemque accidit si plus justo stimulet cibus. Lac serosum, quippe quod, propter qualitates acescentes, refrigerans et reficiens sit, ad libitum hauriri potest. Omnia quæ refrigerant huc optime conveniunt. Lac, præsertim asininum vel caprinum, quod pariter potui ciboque sit, omnibus aliis cibis præstat; attamen si hæc ægro non sint grata, lac vaccinum, aut per se, aut aquæ et sacchari pauxillo conjunctum, usurpari potest. Potus nimis calidi et stimulantes evitari debent. Juscula nutrientia, et decocta et infusa farinaceorum blanda, sunt porrigenda. Effectibus cœli nostri humidi et inæqualis obviam eundum est; igitur vestitus sit laneus; et conclave quoque medium calorem retineat.

Quod ad exercitationem spectat, si vires ægri ullo modo permittant, quod profecto ad ultima stadia rarissime accidit, navigatio et equitatio laudantur, nec desunt exempla ubi moram fini lethali interposuit navigatio. In phthisicis præci-

pue hæc et alia exercitationis genera proposita sunt.

Ad regionem calidiorem phthisicos mittendos esse quidam volunt. Priusquam inceperit hectica, vel saltem priusquam aliquod insigne incrementum perfecerit, hoc solummodo bene promittit. Ad Madeiram, Siciliam, atque ad partes Europæ meridianas, multi, ad phthisin pulmonalem procliviores, magno non sine commodo, emigrant. De hac re verba Doctoris CLARK sunt sequentia: "To sum up in a few words the opinion I have formed from all the observations I have been enabled to make on the effects of climate in pulmonary consumption, it appears to me, then, that the change of our English climate for a residence in the milder ones of the South of Europe, is much more beneficial as a preventative of the disease, than, I fear, it will ever be found as a means of cure of it when formed *." In stadio provecto, cum jam hectica instat, prorsus inutile videtur; immo migratio ad plagas calidiores nunc potius est condemnanda: nam experientia satis do-

---

* Vide CLARK's Medical Notes on Climates," &c. &c, p. 114.

cet calorem australium regionum vim hecticæ addere, mortemque igitur accelerare. Auctor jam citatus his verbis utitur: "I believe I shall not err, if I say that the whole of the South of France and Italy are improper for consumptive patients during the summer months, and that, the more certainly, the farther the disease is advanced: where hectic fever is formed, and ulceration of the lungs has taken place, a high temperature certainly accelerates the progress of the disease *."

Multa insuper restant remedia, quæ, variis temporibus, ad signa in ultimis hecticæ stadiis levanda, jactata fuerunt. Sed hæc enumerare minime necessarium erit; quæcunque ex antea recensitis usurpentur, vix unquam, nisi pro tempore, signa mitigant. Nihilominus in memoria semper tenendum est, horum alia atque alia adhibendo plerumque ægrotantis cruciatus sublevari posse; ideoque curantem oportere summa ope niti, ut ex his ea remedia reperiat, quæ singulis

* Vide Clark's Medical Notes on Climates," &c. &c, p. 87.

indiciis infelicem ægrum fatigantibus optime conveniunt; neque miserum unquam deserendum esse a medico, donec mors doloribus finem dederit.

FINIS.